



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De sacra militia S. Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, & Archiducis  
Lotharingiae. Cap. XXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

Scafnaburgensis, Otto Rex Hungaros, cum magno periculo sui suorumque, magna cæde prostravit in Lechfelt, in natali S. Laurentij. In quo bello, addit Sigebertus, cecidit etiam Cuno poenitēs, nō iam Dux, sed miles Imperatoris. qui Deū orauerat, vt pro pœna perfidiæ suæ in ipso bello ab Hūgaris perimeretur.

*De sacra militia S. Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, & Archiducis Lotharingia.*

C A P. XXXV.

**S**IGEBERTVS ad annum IX<sup>c</sup>. LVII. Bruno v. *Brabātia*  
no Archiepiscopus Ducatum Lothari- *Dux ex be-*  
sium post Conradum adeptus, cœnobium *neficio Im-*  
sancti Pantaleonis Coloniae construxit. *peratoris.*

Item ad annum 1000. LIX. Bruno Ar-  
chiepiscopus, & Archidux Lotharingia, se-  
cundas partes in regno fratris sui potenter &  
industriè administrans, Raginerium Mon-  
tēsem Comitem, qui Longicollis cognomi- *Mōtensem*  
nabatur, apud Valentinas cepit, & irreuoca- *Comitem*  
bili exilio damnauit, pro eo quòd regnum *nunc Har-*  
bellis inquietabat, vel (quod verius fuisse di- *noniensem*  
citur) pro eo quòd mortuo Gisilberto Duce, *vocamus.*  
consanguineo suo, ea quæ Gisilbertus vxori  
suæ Gerbirgæ in dotem contulerat, violenter  
ei auferre præsumebat. Breuiter quoque Wi-  
tichindus Saxo libro II. rerum Saxoniarum:  
Iunior fratrum Dominus Brun, magnus erat  
ingenio, magnus scientia, & omni virtute ac  
industria. Quem cum Rex præfecisset genti  
indo-

indomitæ Lothariorum, regionem à latronibus purgavit, & in tantum disciplina instruxit, vt summa ratio summaque pax illis in partibus locum tenerent. Erat tunc, vt Gallicè legitur in Hannoniæ Chronicis, miseranda facies monasteriorum, Ecclesiarum, & cleri. Quæ enim ex Nordmannorum vastatione supererant, ea in Hannonia nobiles inuaserant. Verùm Bruno nobilitatem & clerum, omnibus sedatis, in decētissimum ordinem redegit, & collapsa loca tam sacra quàm profana restaurauit. Præstitit etiam beneficium ecclesiæ Traiecti, in qua sub Baldrico Antistite studuerat. Brunonem, ait Heda Præpositus, fratrem suum Otto Imperator, instinctu Baldrici Episcopi Traiectensis, direxit cum non spernenda manu ad restituendam urbem & liberandum circumvicinas prouincias antiquatis hostibus, quorum fortuna iam vndique nutabat. Qui etiam victoriosè bellum hoc exsequitur, cōstituens ipsum Baldricum in sedem quietam. Meminit quoque Luitprandus Italiæ scriptor, quòd Brunonem Pater sanctus Baldricus, quoniam Nordmanni Traiectensem destruxerant ecclesiam, ob eiusdem recuperationem voluerit militare. Accedat postremò elogium Conradi Abbatis Urspergensis: Cum magna religione vsus est officio Sacerdotis, & exigente necessitate iussu Regis functus est virtute magnanimi Ducis. Nemo autem super hac re eum culpabilem

pabilem dicat, cum Samuelé sanctum & alios  
plures sacerdotes pariter legamus & iudices.  
GODEFRIDVM Duce[m] Lotharingie in sa-  
cro exercitu obijisse.

C A P. X X X V I.

CLARVIT sub Archiduce Brunone Dux Hic v. r. cõ-  
puto Brabantia Ducem ex  
beneficio Im-  
peratorii.  
Godefridus. Sed qui ante eum anno  
IX<sup>c</sup>. LXIV. obiit ex pestilentia & mortalitate  
in eo exercitu quo Otto Romam obsidens,  
Romanos coëgit, abdicato Benedicto Apo-  
stolicæ sedis inuasore, Leonem VIII. in Apo-  
stolicam sedem restituere.

Qualis autem fuerit hic Dux, descriptum Vita Bruno-  
ni cap. 40.  
est à Rothgero: Pius, inquit, pastor & Ar-  
chiepiscopus Bruno, domino & fratri suo  
auxiliares copias non leuem armaturam de  
Lothariorum populo misit. Iis præfecit Go-  
defridum Ducem, quem ipse nutriuit, virum  
sapientem & religiosum, amantissimum pa-  
cis, obseruantissimum æquitatis, Imperatori  
per id tempus ad votum seruientem, omni-  
bus placentem. Hic eodem tempore febre  
correptus, in magnam spem futuræ quietis  
expirauit. De cuius innocentia quodam mo-  
do securus, quasi testis & conscius vitæ eius  
pius Pater Bruno, cum de pecunia dispen-  
sanda ageretur pro remedio animæ illius,  
non valde illum talibus indigere asseruit.

*Interregnum Ducatus.*

QVIs porro Duci Godefrido aut Archi-  
duci Brunoni in administratione Du-  
catus